

§. XVII.**AN RES IMMOBILES QVOQVE SEQVESTRARI POSSINT?**

MVLTA quidem est doctorum virorum de eo contentio, vtrum et res immobiles sequestrari possint? Sed puto, huic dubitationi locum dedisse illam quaestionein: an res quoque immobiles deponi possint? de qua etiam disceptarunt iureconsulti. De vtraque quaestione multas doctorum dissensiones proferre non licet, nec lubet, quum sentiam in maiorem molem scribenti mihi adcreuisse hunc libellum, quam quidem animo constitutum erat. Quare breuiter dicam, quae necessaria esse sentio, ad illustrandam sententiam meam de sequestratione. Depositum quidem multi volunt rerum etiam immobilium esse, vti celeberrimus Iureconsultus, IOANNES HENNINGIVS BOEHMER^a), qui VOETIVM et FRANZKIVM, quos nominat, autores sequutus est. Sed videtur hoc ipsi voci, eiusque origini contrarium esse. Quare malim cum VLRICO HVBERO^b), SAMVELE STRYCKIO^c), SAMVELE DE COCCEII^d), et multis aliis negare rei immobilis depositum, idque mandatum dicere. Sed, quum res immobilis deponi recte negetur, videntur illi, qui omnem sequestrationem deposito perfici dicunt, huic rei conuenienter negare quoque sequestrationem rerum immobilium, quod multi fecerunt, ex quibus nominasse hoc loco sufficiat summos viros, IACOBVM CVIACIVM^e),

I 2

et

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| a) in <i>Introduct. in Ius Digest. Tit. de positi</i> §. 7. | e) in <i>Recit. ad Tit. C. de prohib. sequestrat. pecun.</i> Item <i>ad Lib. 2. PAVLLI</i> |
| b) <i>praelect. ad Institut. Tit. de obligat. quae re contrahunt.</i> §. 12. | <i>ad Edict. ibique ad c. 6. D. depositi, et ad Lib. 28. Quaest. PAPIN. ibique ad c. 5. §. 1. D. ut legator. seru. cauff. cau.</i> |
| c) in <i>Cautel. Contract. Sect. 2. c. 3. §. 6.</i> | |
| d) in <i>Iure. Ciui. Controu. Tit. depositi. quaest. 3.</i> | |